



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Monstris Et Monstrosis, Qvam Mirabilis, Bonvs, Et  
Ivstvs, In Mvndo Administrando, Sit Devs, Monstrantibvs**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadij, 1647**

§. 1. In libera Dei potestate esse, vt monstra producat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51168](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51168)

CAPVT XVI.

*Defectus monstrorum & naturæ, ple-  
rumque aliunde compensari.*

§. I.

*In libera Dei potestate esse, ut monstra pro-  
ducat.*

**P**oterant huc vsque disputata satis placare imperitorum monstrorum carpentium querelas: & sufficit, malitiæ atq; superbiæ fructum esse, quod impatientia non vult tolerare; immò audet in tam benigno Plasmatore, criminossissimis iniurijs accusare. Quid enim? si monstrum sinit gigni, cui iniuriam facit? quid, si luscum, aut cæcum, aut manibus pedibusque truncum hominem in lucem prodire ab utero matris suæ permittit? Dominus est vniuersæ naturæ. Quod vult, facit. Potuisset talem omnino non sinere nasci, aut concipi. Potuisset eum in Nihilo suo relinquere. Quidquid ei dedit, gratis dedit; & sæpe etiam ingrato. Quidquid negauit, pro potestate sua negauit. In summa tantum dedit, quantum dare voluit. Statuarius ex ingenio fingit simulachra, alia sine pedibus, & pectore tenus

Nn 3 tantum,

Rom. 9.  
21.

tantum, alia integra. O homo tu quis es, qui respondeas Deo? Numquid dicit figmentum, ei, qui se finxit: Quid me fecisti sic? An non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam? Hoc nos per Prophetam

Ierem. 18.  
6.

scire voluit, cum illius ore diceret: Ecce sicut lutum in manu figuli, ita & vos in manu mea. Quid inde conficitur? Id quod Apostolus dicit, O homo, quis es, qui respondeas Deo? Respondere Deo non posse conuincitur,

S. Greg.  
lib. 9. moral.  
c. 8.

ait S. Gregorius, qui homo nominatur; qui per hoc, quod de humo sumtus est, iudicia superna discutere dignus non est.

§. II.

Compensatio eorum, quae desunt in vno loco, aut alia re, à diuina prouidentia Mundo prospecta.

Hæc quanquam ita sint, & licet negare vnicuique possit, quod vult, tamen tam bonus est Plasmator noster, vt plerumque quod in vno negat, in altero compenlet.

Albert.  
Hieron.  
Seneca-  
nus lib. 1.  
de Proui-  
dent. Dei.  
c. 7.

Ita, teste Alberto Hierone, ubicumque locorum alicuius rei ad vitam necessaria inopia laboratur, ibi aliud quiddam, quod eius vicem suppleat, inuenitur. In Aegypto, vbi rara pluuia, Nilus ripas aluei supergressus, id quod à

calo